



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XL. De septem gradibus confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

*illa respicienda;
ad hanc suspi-
randum.*

me, ad neutram licet extendere manum. Ab utraque mensa prohibeor, ab hac quidem professionis, ab illa corporis vinculo, ut nec ad inferiorem audeam, nec ad superiorem accedere possim. Quid inter hæc restat, nisi comedere panem doloris, ut sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, si quis fortè cœlestium convivarum misericordiamotus, in os latrantis sub mensa catelli exigua aliqua deliciarum illarum fragmenta dimittat? Nam inferior quidem consideratio, qua nobis ipsis compatimur eorum respectu quos novimus deliciosè viventes in hoc seculo, infirmæ adhuc animæ est, nec omnino talis mihi placet affectio in anima spirituali. Longius enim positus est à iudicio veritatis, qui beatificat quos velut miserimos lugere debuerat, qui peccant & non agunt poenitentiam: & se miserum reputat non sanè consensu iudicij, sed affectionis sensu, quòd non sit sicut illi, qui id magis optare debuerant, ut omnes essent sicut ipse.

Hoc tamen solum tali in cogitatione laudabile est, si miseriam ipsam quam reputat, pro amore sive timore Dei patienter ferre deliberat, & cum pietate quadam dicit Deo ^e: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Et hæc quidem cogitatio inchoantium est, tanquam lac parvulorum. At verò cum jam proficere cœperit anima, & affectione sequi iudicium rationis, omnia proculdubio detrimentum faciet, & quasi stercora arbitrans lugebit cum Propheta ^f super eos qui amplexati sunt stercora. Ipse verò sancta quadam humilique superbia hæc universa despiciet, & magna in altitudine animi collocatus non beatum dicet populum cui hæc sunt, sed miserum planè; beatum verò cuius Dominus Deus eius. Verum dum hic ita sui comparatione miseretur illis, inveniet utique quorum comparatione, sui quoque misereatur, si suspenderit ad cœlestes divitias, & delectationes in dextera Domini usque in finem. Vnde fit ut qui prius de inferiori irriguo lachrymas fundens plangebatur, dicens ^g, *Quoniam propter te mortificamur tota die* ^h: iam de superiori abundantiores emittat fletus, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* ^b.

^g Rom. 8. d

^b Psal. 119. a

S E R M O XL.

De septem Gradibus Confessionis.

Corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Psal. 15. c.

NOtas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me læticia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Ad te quidem libenter accedimus Domine IESU, discipuli ad magistrum, infirmi ad medicum, servi ad dominum. Tu es enim magister & dominus, cuius schola est in terris, cathedra in cœlis. Tu es ille eximus medicus qui

qui solo verbo restauras universa. Vias tuas demonstra nobis, & semitas tuas edoce nos ^a: *Via enim tua via pulchra, & omnes semite tua pacifica.* Beati qui ambulant in via tua Domine virtutum: beatiores qui currunt viam mandatorum tuorum; qui currunt in odorem unguentorum tuorum. Exultas enim ut gigas ad currendam viam ^c: & non solum currens, sed & saliens in montibus, & transiliens colles. Exultaverunt gigantes Philolphi non ad currendam viam tuam, sed ad quaerendam vanam gloriam, evanescentes in cogitationibus suis, non in humilitate aut in virtutibus tuis, sed suis. Viam enim sapientiae nescierunt, neque meminerunt semitarum eius. Non est audita in Chanaan, neque vila est in Theman ^d, Maledicti qui dixerunt Domino Iesu: Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus ^e. Nos autem quaerimus te de die in diem, & scire vias tuas volumus.

Principales viae tuae, duae sunt: Confessio & Obedientia. In confessione omnia lavantur; in obedientia virtutes solidantur. Bonum animae ornamentum confessio, quae & peccatorem purgat, & justum reddit purgationem. Si peccata sunt, in confessione lavantur: si bona, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium Deo spiritus contribulatus: cum Dei beneficia immolas Deo sacrificium laudis. Absque confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confessio igitur est peccatoris vita, justij gloria. Video David dicentem; *Peccavi, & audientem: Transulit Dominus peccatum tuum a te, & non morieris* ^f. Considero Mariam, si non verbis, tamen operibus publice sua crimina confitentem, & Dominum pro ea respondentem ^g: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Respicio Principem Apostolorum negantem timide, amarissime flentem, Christum illum respicientem ^h. Felicem Latronem intueor se accusantem, Christum excusantem, & Dominum promittentem ⁱ: *Hodie mecum eris in paradiso.* O quam sublimis ista confessio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad caelum, de cruce Latro damnatus ac crucifixus ad paradysum ascendit! Gloriosa confessio, quae Petrum Apostolum trinae negationis crimine liberavit, & ab apostolatus culmine cadere non permisit. Fidelis institutio, quae Mariae multum diligenti, multum dimisit: & amoris multi titulo insignitam discipulorum corpori sociavit. Praeclara miseratio, quae Regem & Prophetam multiplici criminum inundatione mundavit, & in antiquae gloriæ dignitatis perducendo reduxit. Haec est via, quae viatorem suum nunquam sefellit, quae nunquam deseruit nisi deserentem se.

Huius viae multiplices sunt semitae ad inveniendum; difficiles ad tenendum; ad enumerandum inexplicabiles. Prima semita & primus gradus in via ista est *Cognitio sui*. De caelo cecidit ista sententia: Nosce te ipsum

Sermones S. Bernardi.

Q999

teipsum

^a Psal. 24. b
^b Prov. 3. c

^c Psal. 18. a

^d Baruc. 3. c

^e Job. 21. b

Confessio & obedientia duae principales viae Domini. Confessio duplex criminis & laudis.

^f 2. Reg. 12. d

^g Luc. 7. g

^h Luc. 22. g

ⁱ Luc. 23. f

Confessionis viae & efficacia.

Varii gradus confessionis.

1. Cognitio
sui: hac in tri-
bus consistit,
nempe;
k Cant. 1. c
Homo peccans
quid faciat,
quid mereatur,
quid amittat.

* Seneca in E-
pist.

2. Gradus con-
fess. Pœniten-
tia, eaque tri-
plex.

1. Ob amissam
innocentiam.

2. Ob non re-
quisitam perdi-
tam.

Luc. 11. d

teipsum homo. Vide si non & sponsus in amoris Cantico sponsæ idem lo-
quatur: *Si ignoras te (inquit) ð pulchra inter mulieres, egredere, & abi &c.*
Cognitio sui stat in tribus; ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid
amisit. Quid vilius ð nobilis creatura, imago Dei, creatoris similitudo,
quàm carnem tuam illecebris carnalibus deturpare, & pro brevi voluptate
torrentem perdere voluptatis? Quid furiosius, quàm rapi mentem ira, su-
perbia extolli, vexari invidia, & anxietate torqueri? Quæ in croceis es nu-
trita, quare stercora amplexaris? Recordare etiam quid merueris. Subeat
memoriam tuam gehennalis olla, fornax ferrea magnæ Babylonis; domus
mortis; anxietatis domicilium; flammarum globus, acerbitas frigoris, te-
nebræ sempiternæ. Considera ordinem tormentorum, tortorum facies,
mutationem pœnarum, miseriarum infirmitatem, & intellectualibus ocu-
lis ista discurrere, & poteris dicere: Melius erat mihi, si natus non fuisset.
Reflecte oculos, & quid amiseris animadvertete. Reminiscere qualis sit civi-
tas gloriosa, cœlestis habitatio, locus vitæ, suavitatis palatium, splendor
gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende ordinem gaudiorum
gaudentium vultus, præmiorum vicissitudinem, multitudinem deliciarum,
& potes exclamare: Qui te perdidit, totum perdidit Domine Deus. Si hoc
triplici funiculo ligaveris animam tuam, intelleges & animadvertes, quia
initium salutis notitia peccati est *.

Secundus gradus est pœnitentia. Hæc duo ita sibi invicem conjuncta
sunt, ut cognoscere se non possit nisi pœniteat: pœnitere non possit, nisi se
cognoscat. Pœniteat igitur anima compunctionis jaculo vulnerata, pœni-
tentia triplici: quia innocentiam amisit, amissam non requisivit, & negle-
xit patientiam Dei. Scio Domine Jesu, quia primam stolam innocentia nobis
in baptismo reddidisti: & amictu niveo candidati, in justitiæ solio relo-
cati, cito recessimus à via quæ ostendisti nobis, & portionem substantiæ quæ
nobis contingebat, cum prodigo filio in dissimilitudinis regione expendi-
mus. Venerunt ad nos vilissimi spiritus, & æternorum ignium reges;
ad mundatos immundi, ad salvandos damnati, curvi ad rectos, & dixerunt
animæ nostræ: Incurvare ut transeamus. Audivimus illos, & incurvati
sumus: transierunt per nos, & innocentiam amisimus. Si culpa est perdi-
disse, quid putas erit non requisisse perditam? Perdit aliquis aliquid in hac
mortalitate? Quærit judices, amicos convocat, trahit in causam, nihil in-
tentatum relinquit, donec vel amissa inveniat, vel ablata restituantur, & cu-
stodiat restituta. Nos hæreditatem nostram incorruptibilem, immarcesci-
bilem, incontaminatam in cœlis, versutiis illius insatiabilis homicidæ per-
didimus, & non requirimus? & incurvavit nos, & non resurgimus? Sur-
gamus & eamus ad Patrem nostrum, dicentes ei: *Pater, peccavimus in cœ-
lum & coram te* ^{1.}. Et omnem evangelicæ lectionis textum percurrentes,
offera-

offeramus Patri pœnitentiam mentis, cordis contritionem, si fortè cum adhuc longè sumus videat nos Pater, & misericordia moveatur, & currens cadat super collum nostrum, & osculetur nos osculo oris sui. Forsitan iubebit proferri stolam primam innocentia, & indui nos vestimentis virtutum, & dari annulum secretorum in manu nostra, & calceari pedes nostros in præparationem evangelii pacis. Præcipiet fortassis adduci vitulum, & occidi in satisfactionem revertentis, & epulari & exultare, & in symphonia & choro reduci ad superna gaudia civitatis, ubi gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente ^m. Scimus Domine Jesu, quia non pri-

Quia enim peccatum non fecit nisi unus, beatus vir tamen, cui non imputavit Dominus peccatum ^o. Omne quod ipse mihi non imputare decreverit, fit quasi non fuerit. Cogita etiam quanta superbia patientia Dei usus, imò abusus sis. Videbat te peccantem, & dissimulabat quasi non videns: vocabat, & non audiebas: minabatur, & non timebas: promittebat, & contemnebas, nec promissis illectus, nec terrore percussus. Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit ^p? Tunc timore magno ne thesaurizaveris tibi iram in die iræ & revelationis iusti iudicii Dei, & memento, quia horrendum est incidere in manus Dei viventis ^q. Liga igitur hoc triplici cataplasmate patientia vulnus animæ tuæ, & dic: *Misere-*

re mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me ^r, &c.

Tertius gradus est dolor; sed & ipse trina ligatione connexus. Verè post cognitionem & pœnitentiam dolor meus renovatus est, & in meditatione mea ignis incanduit, quia creatorem offendi, Dominum non timui, sprevi benefactorem. *Nunquid non sicut lutum in manu figuli, etiam vos in manu mea, dicit Dominus* ^s? Insuper fecit te vas in honorem, cur te in contumeliam facere præsumpsisti? *Nunquid dicit figmentum figulo, cur me fecisti sic* ^t? Creatura creatorem, figmentum factorem, opus opificem ausus es provocare? Memento vilissima testa, quia si cecideris super lapidem istum, confringaris: si verò super te ceciderit, conteret te contritione timenda, ita ut ne vestigium minimum pareat. Tu autem sanguinem sanguini miscuisti, & Creatorem offendens, & Dominum non timens. Servus eras illius Domini, cuius iræ resistere nemo potest; & in præceptis ejus acceperas voluntatem. Noluisti intelligere, ut benè ageres, sed recalcitrans Domini imperio, propria lege intra rempublicam vivere decrevisti. Nā audisti quam sententiam excipiat servus nequam ^u: *qui sciens voluntatem Domini & non faciens, multitudi-*

ni verberū reservatur. Assistūt Angeli ad audiendam vocem sermonū ejus x. Stellæ vocantur, & dicunt; adsumus ^y. Venti & mare obediunt ei ^z, & omnia legem præfixam inconcussa retinent firmitate. Tu solus peregrinus es, & imperatoris decreta majestatis non curas? Audi quia potest te

Qqqq 2

mittere

m Ibidem.

n Psal. 83. c

o Psal. 31. a

3. Ob abusum patientia Dei.

p Rom. 2. a

q Heb. 10. f

r Psal. 6. a

3. Gradus confessionis, Dolor de peccato, & is triplex.

s Hier. 18. a

t Rom. 9. c

1. Quia Creatorem offendit.

2. Quia Deum non timuit.

u Luc. 12. f

x Psal. 102. d

y Baruch. 3. d

z Matt. 9. d

3. Quia sprevit
benefactorem.

g Rom. 8. f

b Hier. 4. c

Gradus 4.
Confessio o-
ris; eaque tri-
plex.

1. Vera.

d Sap. 1. b

2. Nuda.

e Heb. 4. d

f sapien. 1. a

g sal. 11. a

h ecl. 2. c

3. Propria.

i Prov. 18. c

mittere in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium perpetua infelicitate crebescunt. Quod si te non movet Creatoris offensio, reverentia potestatis: moveat saltem ingratitude, quod tantum benefactorem in tantis beneficiis contempsisti. Ubinam similem benefactorem invenies, qui tibi ministrat siderum cursus, temperiem aeris, fecunditatem terræ, fructuum ubertatem? Ad extremum, ut omnium tibi beneficiorum cumulum aggregaret, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: tradens Unigenitum pro adoptivis, Dominum pro servis, Iustum pro impiis. Quid tibi ultra debuit facere, & non fecit? Si ergo isto dolore dolueris, poteris dicere cum Propheta *b*: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt.*

Quartus gradus est *confessio oris*. Post cognitionem sui, post poenitentiam mentis, post dolorem cordis, sequitur confessio oris. In his omnibus corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem *c*. Sed & ipsa triplex est, si virtutem salutis adsequitur. Debet enim esse vera, nuda & propria. Veritatem quærit Altissimus, & ubi valet falli, qui fallere non intendit? Novimus plerosque & experti sumus, qui ad confessionis gratiam venientes, magis onerati quam liberati à peccatis ad suam conscientiam redierunt. Dicunt enim, si clerici, ea quæ literario: si milites, ea quæ gladiatorio gessere conflictu: ut sub humilitatis pallio superbiam inducant, in tanto se signaculo condemnantes, sub quo totius humanæ salutis summa consistit. Ad hoc enim confitentur, ut saltem specie videantur confessi. An tu veram illam putas esse confessionem, quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit, cum Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum *d*, & gratuitam satisfactionem Omnipotens quærat? Illa verò confessio vera est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, & totius absconsionis exutam velamine. Quid enim prodest partem peccatorum dicere, & partem celare? ex parte mundari, & ex parte immunditiæ deservire? Nunquid de uno eodemque vase dulce & amarum, sapidum & insipidum stillare potest? Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei, & tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet Sacramento? Ostende & denuda quæcunque cor tuum dilaceraverant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis. In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum *f*, non in duplicitate: quia vix illis qui loquuntur in corde & corde *g*, & terram duabus viis ingrediuntur *h*. Debet autem esse propria. Sunt plerique, qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, & sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur: nesciunt sua, aliena verò perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices & miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua. An non legisti *i*; quia *justus in principio*
serm. 10.

sermonis accusator est sui? Sui, dicit Scriptura, non alterius. Nunquid oblitus es Apostolum Jacobum dicentem^k: Confitemini alterutrum peccata vestra? Vestra dixit, non aliena. Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper^l. Meam dixit Propheta, non tuam.

Quintus gradus est *maceratio carnis*; sed & ipsa ternario numero consecrata. Convenit enim ut fiat occultè, licentiosè, discretè. Teneros artus tuos & exquisitis educatos deliciis, diuturno confringe martyrio, ut tanto noveris à licitis abstinere, quanto memineris illicita perpetrasse. Hoc autem *occultè* faciendum est, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua^m. Non enim est in ore hominum tanti boni reponenda custodia, sed in absconso cordis tui, ut sit gloria tua testimonium conscientiae tuaeⁿ. Non hoc dicimus, ut non luceat lux tua coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in caelis est^o: sed ne intentionem tuam in vilis gloriae brevitate recondas. Nihil enim infelicius, quam hic carnem macerare jejuniis, vigiliis affligere: & hic accipere gloriam, illic gehennam. *Licentiosè* verò facienda est: quia quicquid sit pastoris licentia, gratiosius est in conspectu Dei; & illam hostiam singulariter accipit Altissimus; quae non est de propria sententia voluntatis, sed de praecipientis offertur imperio. Multum enim valet ad refellendam superbiam, propriae voluntatis exclusio; quam extirpare non potest, qui mundi hujus diligit vanitatem. Discretio autem in hac distinctione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus: & dum hostem subigere quærimus, civem occidamus. Considera corpus tuum, & corporis tui possibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuae distinctioni. Custodi corpus tuum incolume ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberasse, & discretionis infregisse repagula, ut inhabiles laudum solenniis redderentur, & lautioribus deinceps diuturnis foverentur temporibus.

Sextus gradus est *correctio operis* in apparatu, sed & ipse numero trinitatis consecratus, ut tibi malum non facias, alteri non noceas, nec consentias nocenti. Expertus es quam fragilis sit voluptatum immersio, & tu iterum vadis illuc? Animadvertisti quia transit voluptas, & peccatū remansit? Reprime pedem ab infandis itineribus immundissimae libidinis. Colla substerne mandatis Altissimi, ne sit iniquitas in manibus tuis. Desævienti gulae solennes epulas, & vana rescinde colloquia. *Averte oculos ne videant vanitatem^p, obtura aures tuas ne audiant sanguinem^q: & tunc dicere poteris: Castigans castigavit me Dominus^r. Quid autem prodest intra rectitudinis lineam tui cursus opera cohibere, si aliis nocere desideras? Qui non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos, requiescet in monte sancto Dei^s, accipiens benedictionem à Domino, &*

k Iacob. 5. d

l Psal. 50. a

5. Gradus Confessionis est Maceratio carnis, quae tripliciter fieri debet.

m Matt. 6. a

1. Occulte;

n 2. Cor. 1. e

o Matt. 5. b

2. Licentiosè.

3. Discretè.

6. Gradus Confess. Correctio operis, & hae triplex:

1. Ne tibi malum non facias.

p Psal. 118.

q Esa. 33. c

r Psal. 117. c

2. Alteri non noceas.

s Psal. 14. a

mic-

† Psal. 23. 2

3. *Nec consentias nocenti. Qui non ve- rat peccare, cum possit, jubet.*

Publ. Min.

7. *Gradus Confess. Perseverantia; cui tria sub- serviunt.*

1. *Imitatio SS.*

2. *Brevitas temporum.*

3. *Fragilitas corporum.*

S. Ambros. ib. 2. de Peccat. cap. 10

1. Cor. 3. b

miseritiam à Deo salvari suo. Non autem te innocentem præsumas, nisi impios & contra virtutem gradientes quanta poteris auctoritate redarguas & opponas te murum pro domo Israel, castigans te, non nocens alteri, nec nocenti consentiens. Vera est enim illa sententia: Qui cum emendare possit, negligit: participem se proculdubio constituit. Cum enim causa Dei ventilatur in medium, & falsitas præponitur veritati, qui cum persona quam gerit non resistit, de suo damnabitur silentio.

Septimus gradus est *perseverantia*; sed & ipsa ternarii numeri sanctificatione dicata. Perseverantiam namque faciunt imitatio Sanctorum; brevis temporum; fragilitas corporum. Quid namque pati non possis, cum videas juvenes, pueros, virgines, anus, senes, decrepitos, diversa pro Christo, non solum excepisse, sed & exquisisse tormenta? Considera puerorum ætatem, juvenum ignem, virginum teneritudinem, anuum fragilitatem, senum infirmitatem, impossibilitatem decrepitorum; & ubicunque reflexeris oculos, invenies his atatibus multitudinem exemplorum ad palmam martyrii viriliter cucurrisse. Nunquid de eodem luto formatus es tu, & eodem spiritu inspiratus? Et forsitan non ingruit persecutio, ut martyrium patiaris; nec damnaris, si Christo servis: imò laudaris, & ab omnibus prædicaris. Quod si & persecutio imminet, contenenda est propter brevitatem. Benè enim natura providit, quæ nullum dolorem vel longum vel magnum esse demonstrat. Si enim magnus est, longus esse non potest. Conjunctio enim corporis & animæ exquisita diu tormenta non sustinet, sed stuporis magnitudine tremefacta, summa velocitate dissolvitur. Magni ergo animi est magna tormenta contemnere, quæ in brevi tantam pariunt mutationem, ut de labore ad requiem, de miseria ad gloriam patientem faciant evolare. Consideranda est etiam fragilitas corporis, quam sæpe aut aliquis levissimus casus, aut incandens febricula cumulatâ congeries, brevi possunt suffocare momento. Tribue ergo virtuti; si necessitas fuerit, quod quandoque debes necessitati, pro brevi periculo sempiternum præmium adepturus. Vides ergo quam difficilis sit via confessionis ad currendum, quam multiplices semitæ ad tenendum. Verum est quod ille tantus Ecclesiæ magister ait: *Facilius inveni eos qui innocentiam servarunt, quam qui congruam egerunt penitentiam.* Hæc de via confessionis pro modulo nostro locuti sumus, sublimioribus sublimiores sententiæ reservantes. Cæterum obedientiæ viam sub alio sermonis principio aperire tentabimus, ne unquam in fastidium veniant verba Domini Salvatoris, qui est benedictus in secula.

SERMO XLI.

De virtute Obedientiæ, & eius Gradibus.

Non possumus nos cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Quid enim in hoc vase testeo, & fragilitate complexio